

F. 22, 20.

X 200 5255

Yb  
528

PANEGYRICUS SECULARIS  
DE  
JUBILÆO LUTHERANO-  
RUM TERTIO,

SERENISSIMIS CELSISSIMISQUE  
PRINCIPIBUS

ac  
DOMINIS DOMINIS,

JOHANNI GEORGIO I. PARENTI,  
SEPTEMVIRO MAXUMO  
AUGUSTALI,

JOHANNI GEORGIO II. FILIO,  
EXCELLENTISSIMI SEPTEM-  
VIRATUS SAXONICI  
HÆREDI,

JOHANNI GEORGIO III. NEPOTI,  
AMORI ATQUE DELICIO  
PATRIÆ,

DUCIBUS

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM &c.

DOMINIS AC PRINCIPIBUS SUIS  
CLEMENTISSIMIS,

SCRIPTUS AC DICTUS  
SUPPLICE MANU DEVOTISSIMAQUE  
MENTE

SUBJECTISSIMI CLIENTIS

CHRISTIANI FUNCCI M.  
FREIB.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ  
M. DC. LV.

D. XXV. SEPTEMBR.

QVI IPSE

JUBILÆUS ERAT

PACI RELIGIONIS, COMITIIS  
AUGUSTANIS PROMULGATÆ

ANNO M D LV.



FREIBERGÆ

Excud. GEORGIUS BEUTHERUS.



Collegit me M. Jos. Augusting Egenolghausen 1677

SERENISSIMIS

ac

CELSISSIMIS

PRINCIPIBUS,

DOMINIS DOMINIS

JOHANNI GEORGIO I.

PARENTI,

SEPTEMVIRO AUGUSTALI POTEN-  
TISSIMO, PACIFICO, SALUTI  
GERMANORUM,

JOHANNI GEORGIO II. FILIO,

SEPTEMVIRATUS SAXONICI HÆREDI  
MAXIMO, SPEI GERMANORUM,

JOHANNI GEORGIO III. NEPOTI

EMINENTISSIMO, JUVENTUTIS  
GERMANORUM PRINCIPI,

DUCIBUS

Saxonix, Julix, Clivix & Montium, S. R. I. Archimarschallo, Seniori,  
Landgraviis Thuringix, Marchionibus Misnix & utriusq; Lufatix, Burggrafio  
Magdeburgensi, Comitibus Marchæ & Ravensbergæ,  
Dynastis Ravensteinl &c.

PRINCIPIBUS AC DOMINIS SUIIS LONGE  
CLEMENTISSIMIS EA,

Quæcunqve Boni Principis Vota esse possunt,

*devotissimo animi Affectu precatur Hodie,*

&


Hoc quæcunqve submissæ Mentis  
Monumentum Primus  
Statuit

*Humillimus Cliens*

CHR. FUNCCIUS M, Freib.



QVÆ NON AUDISTI, NON AUDITURUS ES, AUDI,  
 QVÆ NON VIDISTI, QVÆ NON VISURUS ES UNQVAM,  
 SACRA VIDE.



Ox hæc solemnis PRÆCONIS est Romani, ad LUDOS SECULARES more solemnii invitantis, soluta quidem & non passa, sed numerorum vinculis tena stringens est Lactis illius Musarum FRID. TAUBMANI, Carmine Seculari centesimum almae Leucoreæ Natalem celebrantis. Quod si, PRINCIPES SERENISSIMI, POTENTISSIME PARENS INTERQVE ELECTORES SENIOR, ILLUSTRISSIME FILI, DIGNITATIS ELECTORALIS HÆRES, ET CELSISSIME NEPOS, PRINCEPS JUVENTUTIS OPTIME, primus Hodie centum decursum annorum Dies orbi illuxit, novus ille Dies omnium, cujuscunq; ordinis, sexus, ætatis suspiriis toties exoptatus, quidni cum eo nova gaudendi gratulandiq; materies suppeteret nobis? quidni eadem vox repeteretur, quâ, instantibus LUDIS SECULARIBUS, in totam Italiam quondam ablegati PRÆCONES convocabant homines ad Ludos, qui nec spectati essent, nec spectandi iterum forent. Nimirum, decurrentibus annis, JUBILÆUM Hodie orbi illucet, JUBILÆUM ex antiquo more & jure quasi redditâ juventute Hodie revirescit. Non equidem puto, quemquam in literaturâ humaniori ita rudem esse, ita ineptum esse, ita peregrinum esse, qui non ambabus, quod dicitur, ulnis largiatur, origine JUBILÆUM suâ esse Ebraum, idque & re & nomine Ebraismum sapere, utut felicissima hætenus ingenia exercuerit, quid primariò vox significet? Silentii jam peplo involvo Talmudicos & Interpretes Græcos, SYMMACHUM maximè, Latinosque, BUXTORFIUM, PAGNINUM, RAVANELLUM, qui יובל, unde Jubilæum, propriè significare arietem, Synecdochicè verò cornu arietinum vel buccinam ex cornu arietino factam scribunt, producentes Locum JOSUÆ, ubi בקרן היוכל cornu Jobel CHALDÆUS reddit בקרן דכרה cornu arietis, quòd cornu arietis solitus fuerit promulgari Annus quinquagesimus, qui Judæis erat Jubilæus. Ad rem & appositè R. DAVID KIMCHI לפי יובל נקראת שנת החמשים וכן שנת החמשים נקראת יובל שהיו תוקעין בשופר של אירי Et sic annus quinquagesimus vocatur Jobel, quia in eo buccinâ arietinâ clangunt. unde Hæstehius: τωβηλαῖοι χερόνοι προσάρχονται ἐννέα. MARTINIUS in *Lexico Etymologico* suspicatur legendam esse: χερόνοι προσάρχονται ἐννέα ἐτῶν. Sed præter necessitatem, quia constat, Græcos, recentiores cum primis, vocem χερόνοι pro anno frequenter usurpare. Prætereo jam CATENAM PATRUM GRÆCAM Manuscriptam, quæ Jobel, ut duplicatum, Deus, Deus, inter-

Buxtorf. in  
 Lex. Ravanell.  
 Biblioth. sacr.  
 Pagn. in Thesau.

Jos. VI. v. 5.

R. Kimch. in  
 Radis.

Caten. Patr.  
Græc. ad Levit.  
XXV.

Serar. in Jos. VI.  
Cornel. à Lap. in  
Levit. c. XXV.

Morin. in Exerc.  
Bibl. p. 219.

Bellarmin. l. 1. de  
Indulg. c. I.  
Bech. ad c. XXV.  
Levit.

Martin. in Lex.  
Etymol.

Doct. Malleol.  
Tract. de Ann.  
Jubil. p. 73.

Gregor. Moral. l.  
XXVIII. c. XV.

Durand. l. VI.  
Ration. c. XIII.

Mas. in c. VI.  
Jos.

Hotting. Anal.  
Dissert. III. Aph.  
II.

Füller. Miscell.  
Saerl. IV. c. VIII.

interpretatur, quasi vox composita sit ex יָבֵל & יָבֵל. Præclara sunt verba,  
& præclaro viro dignissima: *Ἰωβήλ*, ait Scholiastes ille, *ὡς ὅταν εἰ διπλα-*  
*σια ζῶντες ὁ θεός, ὁ θεός. Ἰναὼ γὰρ καὶ ἐλαὰ παρ' Ἑβραίοις ὁ θεός ὀνομάζεται, ἵνα τὰς*  
*μαθῆς ἁγίου ἁγίων εἶναι τὸ ἔτ.* Nolo jam repetere bis coctam crambem,  
quam dudum decoxerunt NIC. SERARIUS, CORNEL. à LAPIDE,  
MORINUS, BELLARMINUS, ipse quoque quæsiuit eam olim R. BE-  
CHAI in derivandâ voce ex יָבֵל, quod in Hiphil interpretantur *at-*  
*tulit vel germinavit*, ut quinquagesimus annus sit dictus Jobel, vel  
quod unumquemque reduceret in hæreditatem, vel quod germinaret,  
& unicuique proventum hæreditatis suæ afferret. indeque MATTHIAS  
MARTINIUS Annum quasi *πενταετίας* vult esse Jubilæum, ob singularia  
eius commoda, quæ ad personas redibant. Multò magis jam omit-  
to Scholasticorum & Canonistarum nugas, qui quid de vocis origine  
ac sensu senserint, MALLEOLUS aperit effatò, quod, si DIS placet,  
Ammonio, Dodonæo, Delphico, & alio quovis oraculo verius est.  
Scito igitur, inquit, brevius, quod *Jubilus est gaudium*, qui verbis  
explicari non potest: nec tamen penitus reticeri secundum Hugonem.  
Et *Jubilatio propriè secundum Gregorium dicitur, cum cordis letitia-*  
*oris efficaciam non expletur.* Ab his igitur dictionibus venit *Jubilæus*.  
Huc respexisse videtur GUIL DURANDUS Mimatensis Episcopus,  
sed odorari, quid sibi velit ille, sanè emunctarum esset narium; Sic  
autem nugatur: *Jubilus fit super a & super o. Super a, in fabrica &*  
*in tanquam. Super o, fit in gloria patri ad notandum, quod, cui fit, est*  
*a & o, id est, principium & finis.* Taceo denique de Etymologiâ  
ANDR. MASI, qui, aliis sententiis rejectis, Jobel à *Jubal*, atque inde  
à primo Musicorum instrumentorum deducit inventore. Taceo, in-  
quam, de his & cæteris GRAMMATICORUM disidiis, & diutius  
aures Eruditorum non obtundo: Jamdudum enim vereor, ne Ora-  
tio mea aliena à legum Rhetoricarum ratione ac quotidiana dicendi  
consuetudine esse videatur. Arridet interim illa ab Aliis probata  
ὀνοματοποίησις JO. HENR. HOTTINGERI, qui à sonò peculiari dictam  
esse atque ductam vocem non minus breviter, ac cogitatè scribit.  
Ut *conjectura nostra*, ait, *fiat probabilior, sciendum est, cornuum &*  
*buccinarum apud Ebræos usum tum in convocandis cætib; tum in accen-*  
*dendis militum ad pugnam animis; tum etiam in indicendo Jubilæo usi-*  
*tatissimum fuisse, & divinâ lege sancitum.* Ne tamen tubarum clan-  
gore Israëlita confunderentur, & in debitâ officii executione perturba-  
rentur, ipse quoque tubarum sonus distinctus esse debuit &c. Sic ad magnam  
illam, annò quinquagesimo quoque recurrentem, indicendam Jubilæi festi-  
vitatem Israëlita *שופר תרועה* tubam clangoris adhibebant quidem, sed  
quæ sonum edidit certum & distinctum, quem S. Scriptura *יובל* jubilum  
appellat. Glossarium Græcè interpretatur *ἀλαλαγὸν*, quem Euthymius  
*ἁγιῶν Βοήν* exponit. Quicquid sit, haut obscure patere arbitror, vo-  
cem à peculiari sono dictam esse. Non abludivit ab hâc re illud Philo-  
logiæ sine luminibus venerandum lumen, NIC. FÜLLBRUS, nisi  
quod vocem non tam productionem, quam diductionem soni po-  
tius designare velit. Num verò *Jobelæus* vel *Jobilæus* inde Annus sit  
scribendus, nihil pensi habeo, sed relinquo tricas istas Grammatistis,  
Disce-

Disceptent illi ausu plusquam Vatiniano inter se de vocis Orthographiâ, autoritatibus innixi NICOLAI DE LTRA, CAJETANI, SABELLICI, vendant illi nugas MALLEOLI, qui nunc dici aſſerit *Jubileum* pro *Jobeleum*, sicut *Eſaias* dicatur pro *Isaias*; mihi, ne extralneas oleasq; aliquantulum exspatier, ſufficit noſſe, *Jubileum* eſſe à ſono, gaudii & exultantis animi indice. Et cur non? Nulla enim tempeſtas, diſertè & appoſitè loquitur P. CUNÆUS, *tantum gaudium, publicè cohibere potuit. Non modò locati rursus in ſolido ſunt, qui prædia ſua antè alienaverant. Sed libertas quoq; data eſt omnibus ſervis &c. Interea temporis per novem integros dies agitata publicè quædam veluti Saturnalia ſunt.* De his R. MAIMONIDES benè & ſcitè: מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרין לבתיהן ולא משתעבדים לארניהם ולא השדות וחזרות לבעיהם אלא עבדים: אוכלין ושותים וסמחים ועטרותיהם כראשיהם: usq; ad diem expiationum neq; dimittebantur ſervi, neq; ſerviebant Dominis ſuis, ſed nec agri reſtituebantur. Quid igitur? edebant bibebantq; ſervi, atq; hilares erant, & coronam quiſq; capiti ſuo impoſuit. Mox ſenatores tubis claxère, atq; è veſtigio liberi abierunt ſervi, & reddita dominis prædia ſunt. Nimirum quinquageſimus, ex ore aureo CAR. SIGONI, annus Sabbatharius fuit, quia remiſſio dabatur ſervis à miniſterio ſervili, atq; ager alienatus redibat ad veterem poſſeſſorem. Ex judiciò meò bene ſuffragatur RODOLPH HOSPINIANUS, hujus rei locupletisſimus teſtis: *In hoc anno, ait, juffu Dei non ſolum ſervi Iſraëlitæ à ſuis ſervitiis dimittebantur, & carceres aperiebantur, verùm etiam omnia debita relaxabantur, atq; adeò venditi agri, vineæ, domus, aliæq; poſſeſſiones ad ſuos priores Dominos redibant: nec enim domos aut agros perpetuo contractu aliis vendere licebat, ſed eorum modò uſum fructum usq; ad annum Jubileum.* Ebraeorum itaq; imitatione JUBILÆUM hodie cœlitùs nobis apparet & revireſcit, non MOSAICUM illud, quinquageſimus quiſq; annus, quò poſſeſſiones ad Dominos ſuos redibant, & ſervi manumittebantur; Neque ANTITYPICUM illud, quod JAC. DE GRAFF. ad ſolos ferè refert Apoſtolos, ſed meliùs P. BTR. PROST, & ipſe Pontificius homo, ad omnes fideles extendit, quòd ſit acceptus ille annus Domini, quò omnes fideles vi ſecreti illius Chriſtianorum pignoris, quod eſt meritum Chriſti, non modò peccatorum reatum effugiunt, ſed etiam, Diaboli aſſiduè uſquequaq; laceſſentis ſervitiò liberati, auguſtiori formâ, quàm fuerunt, bonorum cœleſtium Quirini conſtituuntur. Neque etiam revireſcit Hodie PAPISTICUM illud, quod non tam Moſaici Jubilæi imitatione, quàm more inanis illius SECULARIS FESTI Romanorum primò quidem perſonatus Dæmon, & vel ipſo PLATINA judice, tantæ arrogantia homo, ut nihil ambitione ac fraude prætermitteret, quod ad Pontificatum capeſſendum pertinere arbitraretur, (Bonifacium intelligo VIII.) inſtituit Centeſimò; paulò poſt Clemens VI quinquageſimò, Sixtus tandem IV. vigeliſimò quinto quòlibet annò elapſo repetendum curarunt, juxta CATALOGUM TESTIUM VERITATIS, ut ſcil. plenam iis, qui Romam inviſerent, indulgentiam omnium peccatorum pro ære præſenti proponerent,

Malleol. Tract.  
de Jub.

Cun. l. i. de Re-  
publ. Ebr. c. II.

Maimon. in Ha-  
lacha Schemitta  
Vejobel.

Sigon. l. III. de  
Republ. Ebr.  
c. XV.

Hospin. de Orig.  
Feſt. c. IX.

Jac. de Graff.  
Append. Aur. l.  
II. c. VIII. ſect. 12.  
Proſt. in Spicil.  
Theolog. de Jub.

Platina in Vit.  
Pontif. Bonif.  
VIII.

Catal. Teſt. Ver.  
Lib. XVIII. n. VI.  
p. 1719.

Dan. Chamier.  
Panstr. l. XXIV.  
c. V. Sect. XII.

quod studium corradendi nummos Jubilæos abundè perstringit  
DAN. CHAMIER. Verùm Nos festum agimus Hodie in puncto  
Religionis LUTHERANORUM JUBILÆUM, TERTIUM  
quod est *hujus Seculi*, Autoritate & Jussu Serenissimi ELECTORIS  
SAXONICI, Patris Patriæ Benignissimi, Optimi, Augustissimi,  
nuper indictum, & quidem ex illibata pacis amore, pacis desiderio,  
pacis studio, quam diu exhalatura jam spiritum GERMANIA uno  
& supremo singultu oraverat. *Annus videlicet centesimus* Hodie in-  
stat, quò Legati Electorales tantum obtinuerunt, ut *pragmatica*  
*Constitutio de Pace Religionis, in Conventu Passaviensi promissa, sub re-*  
*gimine Caroli V. Imp. unanimi Procerum consensu in Comitibus Augusta-*  
*nis solemniter tandem promulgaretur, & ii, qui nec Pontificiæ religioni,*  
*nec Augustanæ confessioni adhererent, excluderentur.* Instat, inquam,  
Dies Secularis, quò RELIGIO LUTHERANA, quæ, circum  
ipsam matrem suam cum Babylonicâ meretrice luctata, jam cœperat,  
quùm Lutherus *Themata de Indulgentiis* publicaret, quæque jam  
adoleverat, quùm Augustana Confessio exhiberetur, *Pacificatione*  
*Religionis Catholice & Augustanæ Confessionis* ad quandam juventæ  
florem pervenit. Ergò PAX RELIGIONIS unica est, cujus  
nomen tam solemniter Hodie tinnit in auribus nostris, PAX ea est,  
quæ tranquillitatis obtutu aut præfatu post tot dissidia Statuum  
Imperialium, post tot fata tristia, sparso semine Jesuitico prognata,  
post tot infelices calamitatum messes, post tot mutuas clades, qui-  
bus penitus fracta Germania toties opem poposcerat, *Osnabrugæ*  
*denuò repetita, novog. Recessu provisæ,* præter spem omnium postli-  
miniò tandem Germaniam respexit. Rebus sic stantibus, adeoq;  
his omnibus probè consideratis, quid vetat, ILLUSTRISSIMI  
PRINCIPES, quid obstat, quò minus, *Pacis hujus exoptatissimæ*  
memores, VOBIS pacis promissis conditis pro *Virtute atque Beneficio*  
*tot Celsissimorum Stemmatis Vestri Heroum,* proq; Tuo, POTENTIS-  
SIME ELECTOR SAXO, vividò omnibusq; Virtutum nume-  
ris absoluto exemplari, quod nobis ut undiqvaq; repræsentas, sic in  
publicando hoc JUBILÆO TERTIO LUTHERANORUM  
declarasti, VOTA, quæ publicè, quæ privatim suscepta, solvamus,  
soluta Oratione expediamus, expedita panegyricè nuncupemus.  
Alii igitur in FRIDERICO I. *Virtutem* suspiciant *Bellicosam.*  
Alii in FRIDERICO II. *Placidum* exosculentur *Spiritum.* In ER-  
NESTO alii non vulgarem rimentur *Religionis zelum.* In FRIDE-  
RICO III. spontè *profluentem animi Industriam atque Elegantiam,*  
*Sapientiam* puto, aliquis amplectatur. Veneretur in JOANNE,  
Electore primo Lutheranissimo, *Constantiam.* Alius in JO. FRI-  
DERICO I. *Magnanimitatem,* vel, ut ita dicam, altiorem *Cothur-*  
*num* admiretur. Alii, stupendum mundi Miraculum, MAURI-  
TIUM obstupescant, qui tantum operum pace belloq; gesit, ut, si  
qui magnitudinum rerum gestarum cum annis conferant, ætatem  
ultra putent, quiq; tot laboribus periculisq; jactatus est, ut ad arma  
adversus Cæsarem corripienda, pro Libertatis & Religionis Evange-  
gelicæ decore vindicando, & Deus & Virtus contendisse videantur.

ic. in orat.  
Q. L. Mainl.  
de Comp.

In

In AUGUSTO puram nulloq; fuce delibutam *Pietatem* Alii agnoscant. In CHRISTIANO I. dulces quosdam aculeos *Prudentie* deprehendant. CHRISTIANI II. divitem *Munificentiam* optimo jure commendent illi. Ego pro tempore nato, utut mea meum inhibere vellet tenuitas Institutum, PANEGYRICA tamen GRATULATIONE humillimè venerabor ELECTOREM PACIFICUM, SERENISS. PRINCIPEM JO. GEORGIUM I. Humillimè mirabor ILLUSTRISS. SEPTEMVIRATUS SAX. HÆREDEM, JO. GEORGIUM II. Humillimè gratulabor CELSISSIMO PRINCIPI JO. GEORGIO III. DELICIO PATRIÆ, de Tanto AVO, deque Tanto PARENTE, ut, si omnium adesset Memoria, non meminisse possent omnes tot Merita, sine numero, sine exemplo expedita. Quia verò mihi obstat Magnitudo Personarum, ipsarumque Rerum Gravitatis intentionis mea aciem abruptur, faciam, quod solent Geographi, in brevi quasi tabellâ, si non Personas, Personarum saltem Imaginem amplectar, non nihil, ut spero, ad Festi celebritatem collaturus. Hoc dum explico atq; expedio, VOS ILLUSTRISSIMOS PRINCIPES ac DOMINOS CLEMENTISSIMOS humillimâ mente oro, exoro, adoro, ut Panegyristæ, si minùs boni, at Clientis subjectissimi Verba Clementissimis Auribus Oculisque excipiatis, qui, hac spe Clementiæ fretus, plus aliquanto complectitur animò, sine temeritatis suspitione, ac ætas & ingenium postulare aut ferre videtur.

Nisi Virtus inclyta respueret omne adjumentum alienæ admirationis aut testimonii, nisi Statuæ peregrina rejicerent ornamenta, quibus nec majores, nec minores existunt, siquidem *recte facti eterna merces est & gloria, non dici aut suspici, fecisse*, possem Tuam, AUGUSTISSIME PATER PATRIÆ, si desinerent Alii, Pietatem, Justitiam, incomparabilem Constantiam, Fortitudinem, Bella, Victorias, Paces, & Omnia, quæ facis, admirari, venerari, publicare: Verè enim AUGUSTI nomen & omen habes, non ab augendo quidem quovis modò Imperium, sed ab Avium ac Augurum potiùs gestu, velut prænuncio, quòd felicibus auspiciis Reipublicæ præfectus sis, ceu de vocabulo *Augusti* pluribus demonstratum it TIRAQVELLUS, & mox initiò *Fastorum* suorum inquit Poëta Romanus:

*Sancta vocant Augusta Patres: Augusta vocantur  
Templa, Sacerdotum rite dicata manu.*

Verumtamen quùm ipsa sui contenta Virtus percellat magnitudine suâ animos plurimorum, aut alliciat suâ dulcedine omnes, instar fulminis alicujus, micante cœlo, aut instar auræ lenis, ridente aëre; quùm jure fiat, operæq; pretium sit, exempla quoque, sicut cætera, futuris Seculis cognosci; quùm & Minerval sit, suum cuique decus rependere, faciam, quod magnas urbes ingressi solent, ut primùm sacras sedes & dicata summo Numini delubra visant, rùm fora atq; gymnasia, & pro suis extenta porticibus ambulacra ac claustra mirentur: Ita in laudibus TUIS, SERENISSIME ELECTOR SAXO, *Sacra Pietatis Instituta* venerabor, & inde gradum proferam  
ad

*Tiraq. ad Qv.  
XVII. de Jure  
Primigen.*

ad nonnulla, quæ in medio constituta, ad publicos usus faciunt, non partim, sed in commune conducunt, nec parietibus, sed orbe clauduntur, nec tecto, sed dio operiuntur, non intra metas circuli sistuntur, sed extra vias Solis ponuntur, digna æternari & tradi securæ Posteritati. Et ut ab eo, quod notavi, notârunt & Alii, meum proficiscatur Encomium, ecquvis est, qui ignorat, quantum obtinuerit SERENISSIMUS ELECTOR piissimis suis Institutis, ex vero Pietatis studio enatis inter tot Pietatis Mangones, Aruſcatores, Corruptores, qui his seculis non solum circumlistunt Principem, sed qui sedilia sua intra aulam Principis habent exposita, tantòque liberiùs grassantur, quantò major facultas conceditur faciendi, quod libet. Obtinuit nimirum OPT. MAX. NUTRICIUS ECCLESIAE Exercitium Unius, ejusque Veræ, Integræ & Sanctæ Religionis, obtinuit, inquam, & à pubertate id ad canos produxit, præsertim inter tot Bella, in quibus etiam Jura cœli præda fuere, Sectarumque libertas pro militari stipendio haberi cœpit. Adjecerunt Alii Ditionibus suis Ditiones alias, locupletarunt Alii sitientem suam Phthisin, si credere fas est, insigni Præservantium accessione. Verùm SERENISSIMUS Noster sub tot Institutorum Sacrorum Auspiciis prudentissimis areas & spatia sua, à proximo seculo in hunc usque diem, sine detrimento exhibet integra, integram exhibet ministeriò Lutheri acceptam, excoctam à *Pape, Zvinglii, Carolstadii*, quin & Hodie ab *Hornæi, Calixti*, aliorumque Schismaticorum scoriis Religionem, & avito nitore splendidam inde à Muhammedanorum finibus ad Arctoi orbis terminos eam exporrexerit. Animadverto inde, Deum ipsum non tam accuratis adorantium subditorum precibus, quam purâ castâque Principis Pietate letari: gratioremque existimari, qui Templis Dei puram castamque Religionem, quam qui tot donaria intulerit, tot spolia opima quasi Jovis Feretrii tholo suspenderit. O igitur Deus alme, sicut Tu semel quasi contesserasti CLEMEN- TISSIMUM Nostrum Principem Sacramentò ac Symbolò Confess. August. prout ea repetita ac declarata est in Libro Christianæ Concordiæ: ita Eundem unâ cum totâ Illustrissima Rutacea Familiâ cumque Subditis in sancta hac compage constantem serves & inexpugnabilem ad extremum usque halitum. Meritò sic precibus meis ingemino Jehovam pro tantâ, CELSISSIMO PRINCIPI Nostro concessâ, Pietate, cujus sanè nomine non *sola morum ad secundam & alteram Legis Mosaicæ tabulam* intelligitur compositio, quasi solus reverentiæ ac charitatis affectus exigatur ab APOSTOLO, sed *pius sanusque cum primis de Deo, rebusque divinis sensus.* Enimverò ad studium hoc Pietatis Electoralis accedit insignis ille zelus Religionis vera, qui, quemadmodum omnibus promiscuè hominibus necessarius est, ita peculiari modò ejus momentis Principis Populiq; Salus, & longè propius est innexa, quam illa Imperii Fata, ut vocat PLAUTUS, Acus Matris Deum, Quadrigæ fictiles, Vejentorum cineres, Orestis sceptrum Priamive, Ilione, Palladium, Ancilia Romanorum statum credebantur sustentare. *Morbido capite, ait SALVIANUS MASSILIENS. nihil sanum est: nequillum omninò membrum officio suo* fungi-

Plin. in Pane  
ggr.

1. Tim. VI. 6.

Plaut. Bacchid.

v. 917. 4. 9. 29.

Plin. l. XXVIII.

& XXXV. c. XII.

Serv. ad Æneid.

l. VII. v. 188.

Salvian. l. VII.

de Provid.



*fungitur, ubi, quod est principale, non constat.* Hoc si unquam verum est, profectò de exemplo Principis in veræ Religionis zelo, aut contemptu est verissimum. Quòd uno eodemq; tempore una pars Romani Imperii Arianismo infecta erat, Oriens inquam, altera autem pars, quæ ad Occidentem spectat, ab hac peste abhorrebat, causam tradit THEODORETUS hanc verbis tam dilertis, ut non atramentò, sed solis radiò exarata videantur: *quia, scribit, eodem tempore, quò Constantius Arianus Orienti præerat, Constans & Constantius filii Constantini M. uterq; Orthodoxus Occidenti imperabant: & eodem tempore, quò Valens Arianus Orientem regebat; frater ejus Valentinianus Orthodoxus Occidentis habenas moderabatur, tantum hi in Occidente, Orthodoxam Ecclesiam fovebant, quantum illi Orientem Heresi fœdabant.* Verùm, ne cœptâ ex metâ elabar, quid, de JOHANNE GEORGIO I. PATRE BENIGNO, PRINCIPE OPTIMO, ELECTORE PRUDENTISSIMO differens, literarum hîc monumentis tradam? An Religionis Zelum, an Zeli Religionem? Tantus, tantus est, ut non sine causâ inter ADMIRANDA PATRIS PATRIÆ habeatur. Quod si ANNÆUS FLORUS *inclytam Numæ Pompilii religionem commendat, qui Pontifices, Augures, Salios, ceterosq; per Sacerdotia descripsit, Janum geminum, fidem pacis ac belli; inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut, ad simulacrum cœlestium siderum, custos Imperii flamma vigilaret, atq; hæc omnia qu. monitu Deæ Egeriæ, cur non Tuum religiosissimum, RELIGIOSISSIME SAXO, Zelum rimaremur, admiraremur, exosculemur, qui, quasi monitu Numinis alicujus æterni, Sacra & Ceremonias, omnemque Cultum Dei immortalis componis, disponis, proponis.* Theodosius Junior, pietatis studiosissimus Princeps, quem à Pulcheria sorore in verò religionis zelo impensè institutum dicit NIC. VEDELIUS, quùm, aliquo tempore in circo pariter sedens, & Ludos Circenses peragens, nuncium latum excepisset, Joannem quendam, qui post mortem Imperatoris Honorii Occidentis Imperium per Tyrannidem invaserat, armaque longè circumtulera, à copiis ipsius Theodosii non sine miraculo oppressum, demumque interemptum esse, populum affatur: Agite, inquit, si libet, relictis his ludicris, simul ad Templum contendamus, ac preces Deo offeramus, quibus pro Tyranno occiso gratias agamus. Dictum factum: confestim enim omnes, relictò spectaculò, per hippodromum medium, unâ voce Psalmos Evcharisticos cum Imperatore decantantes, rectâ ad Ecclesiam sese conferunt, ibique diem integrum divinis laudibus exigunt. Laxemus vultum, & ridentibus oculis intueamur Majestatem SERENISSIMI. Prodeat aliquis Pericles, cujus lepor in ore sesitabat, cujus aculeos in animis auditores sentiebant, judice Eupolide apud C. PLINIUM, prodeat, nec ampliùs cunctetur coactâ socordiâ, sed colligat mentis radios oriundâ luce, ac edisserat, numne SERENISSIMUS Noster Zelum imitetur Theodosii? Imitatur sanè pari successu, dum, ex summo studio anxius *augendam Lutherane Religionis Libertatem*, Hodiernum indixit JUBILÆUM, idq; Dei beneficiò TERTIUM est hujus Seculi, quod indicit HEROS

Theodor. Hist.  
Eccles. l. V. c. VI.

Flor. l. i. Hist.  
Rom. c. II.

Vedel. l. i. Prudent. Vet. Eccles.  
c. VIII. n. I.  
Socrat. Hist. Eccles. l. VII. cap. XXIII.

Plin. l. I. Ep. XX.

CELSISS. Indixerat enim PRIMUM, quum *Seculum* abiisset à primo Martini Lutheri Augustiniani Heroico ausu, quò publicis The-  
sibus impugnaverat Indulgentiarum Pontificiarum quindinationem luxuriosam, eòque demum devenerat, ut ipsam Pontificis potesta-  
tem, quam sibi per diplomata arrogabat, omnium peccatorum ex-  
piationem pollicitus, in dubium vocaret, & ad doctrinæ, successu  
temporis labefactatæ, examen, crescentibus per contentionem ani-  
mis, deniq; descenderet, quem & aulum nec ipse improbat JAC. AUG.  
THUANUS. ALTERUM JUBILÆUM intimavit SERENISS.  
quum *Seculum* elapsum esset à solempni exhibitione Confessionis Augu-  
stane non frustraneâ, utut idem ibidem THUANUS referat, Comitiiis  
Augustanis quæstionem Religionis, frustra agitatum, exitu caruisse.  
Ergò civile hoc, & Parenti publico convenientissimum videbatur SERE-  
NISSIMO Nostro, TERTIUM indixisse JUBILÆUM, ut in eo  
meminissent Sui Beneficiorum Dei, meminissent *Pacificationis Re-*  
*ligiosæ*, quæ itidem, *Seculò integro perpetuo anfractu in se revolutò*,  
*Augustæ Vindelicorum Hodie sub Obligatione Cæs. Majest. arctissimâ*,  
vim habente juramenti corporalis, *sub unanimi quoque Statuum Con-*  
*sensu*, ad perpetuam se Edicti observantiam adstringentium, Chri-  
stiano orbi promulgata, post sæpius publicis Comitiiis confirmata  
fuit, etiamsi Pontifex Pius V. rationem componendorum disfidio-  
rum Religionis ad suam, atque adeò ad Romanæ sedis, omnium alia-  
rum matricis, auctoritatem pertinere ratus, Jo. Francisco Commendono  
enixe injunxisset, ut, si Religionis negotium in Comitia deduceretur, ipse  
suo nomine publicè protestaretur, & Pontificem in cunctos, qui aderant,  
tam *Seculares*, quos vocant, quam *Ecclesiasticos Principes* divina cen-  
sure gladium districturum interminaretur, & contra Cæsarem imprimis,  
quem & Imperiò & regnis & ditionibus, successibus & juribus, quæ  
in Hispaniæ regnis illi competebant, privaturus esset; etiamsi idem  
Papa imperiosus, qui rationes nullas voluntati suæ contrarias ad-  
mittebat, secundis mandatis enixe magis, quam prius injunxisset Car-  
dinali, ut, si mentio ulla de Religionis negotio in Comitiiis fieret, publicè  
protestaretur, & Cæsarem atq; alios Principes Pontificis nomine à Com-  
munionem Christiana excluderet. Omnino conclamatum fuisset, si  
minister, hero tamen prudentior, permittente Deo, mandatis his  
secundis paruisset; si Cæsar minis, calumniis, strophis, conviciis, ma-  
ledictis, *circularibus linguæ probris*, totâ denique proluvie oris  
Pontificii se terreri passus fuisset. Et adhuc conclamatum esset,  
nisi in novissimâ Constitutione pacis Osnabrugensis non tan-  
tùm suspensio exercitii à parte Romanensium confirmata, sed  
etiam devolutio utriusq; jurisdictionis tam *Diocesanae in specie*, quam  
*totius jurisdictionis Ecclesiasticæ cum omnibus suis speciebus* (verbis IN-  
STRUMENTI PACIS loquor) juri Territorii annexa, clariùs expressa  
foret, ut non solum ab Ordinariorum jurisdictione, sed etiam à Pontificis  
potestate, & universali & Patriarchali, Status Augustanæ Confess. im-  
munes declararentur, illisq; liberum Religionis exercitium concederetur.  
O rem memoriæ literisque mandandam! Ecquid Vobis videtur,  
Cives Saxonie, Thuringie, Misnie, utriusque Lusatie, de Electorali

Tbuan. Histor.  
L. I. p. 7.

Anno Christ.  
M D LXVI.

Tbuan. Histor.  
l. XXXIX. p.  
724.

Artic. V. §. 16.

hoc  
LA  
cau  
pro  
bat  
Si e  
mu  
Mu  
ten  
PI  
Co  
qua  
pre  
qua  
Jub  
po  
na  
Qu  
luc  
tu  
se  
no  
pri  
ce  
R  
Ro  
ne  
est  
ru  
ju  
se  
ri  
H  
m  
R  
pr  
pr  
tu  
su  
ra  
q  
er  
ste  
tu  
ve  
in  
m  
lu

hoc

hoc & Principe digno Zelo, quem, TERTIUM indicens JUBI-  
 LÆUM, abundè declaravit PATER PATRIÆ? An sat amplas  
 causas habuit SERENISS. ELECTOR? Habuit maximè tam  
 proprias quàm paternas, nec minùs definitas distinctasque. Urge-  
 bat nimirum ILLUSTRISS. SAXON. NESTORA *Honestas*:  
 Si enim ad Antiquitatis magnum & venerabile tribunal provoca-  
 mus, antiquissimæ *Jubileum* est memoriæ. EUSBIUS cum ipso  
 Mundi exordio cœpisse asserit *Jubileum*. Quam non vani hominis sen-  
 tentiam exosculantur BUCHOLZERUS, CHITREUS & CORN. à LA-  
 PIDE, non quidem eodem modò *Jubileum hoc Mundi* explicantes.  
 COSMA MONTIGIANUS initium *Jubilei* quærit in Lege naturæ,  
 quando Deus quinquagesimo post cataclysmum Annò, uti inter-  
 pretatur, pactum reconciliationis cum Noâ statuit, nihilque aliud  
 quàm *Jubilei* fundamenta jecisse videtur. HUGO CARDINALIS  
*Jubileum* à victoriâ Abrahami ortum fuisse docet, vel quòd illo tem-  
 pore Loth, vinculis hostium liberatus, quinquaginta annos esset  
 natus, vel quòd quinquagesimus curreret annus ab exitu è Canaan.  
 Quia verò omnis ejusmodi quinquagesimus annus non nisi *materia-*  
*liter Jubileus* dici potest, Alii, non unò aut levi tibicine munimen-  
 tum suum fulciantes, argumenta & testimonia insuper dant non  
 semimodiò aut modiò, sed toto horreò, quòd *Jubileum formaliter*  
 non cum Mundo cœperit, sed tamen septingentis & ultrà annis ante  
 primam Olympiadem promulgatum sit in Auctumnò. unde & ne-  
 cessariò computandum erat, cujus rei rationem latè deducit PERE-  
 RIUS. Ab alterâ parte urgebat *Consuetudo*, Consuetudo imprimis  
 Romanorum urgebat, ne pagani supersticiosâ suâ ac vanâ Religione  
 nobis palmam hac in re arduâ præriperent: Quis enim Literatorum  
 est, qui non, animi causâ, aliquando excusit Romanorum Pinda-  
 rum HORATIUM, eumque sedulâ manu versavit, ut quid fortè ad-  
 jumenti ad Institutum studium suppeditaret, vel etiam in tempus præ-  
 sens conferret? Et si qui essent, qui nunquam excusserunt HO-  
 RATIUM, neque CATULLUM, neque VIRGILIUM, neque Græcorum  
 HOMERUM, vel PINDARUM unquam legerunt, adeant illi lotis  
 manibus verè politum Virum ANGELUM POLITIANUM, JOANN.  
 ROSINUM atque alios Antiquitatum Hamaxarios, & in rem multò  
 præsentiorum, atque apertiorum venient, quàm si Romæ coràm  
 præsentibus ipsi spectassent *solemnia FESTI SECULARIS*, insti-  
 tuti primùm post exactos Reges à P. Valerio Publicola, primo Con-  
 sule, & centesimo quolibet deinceps annò à Quindecimviris instau-  
 rati, ut Sacrificia Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, præterea-  
 que Parcis, tum Cereri & Diti, & Proserpinæ Romanorum salutis  
 ergò susciperentur, omniq; Festum apparatus, supplicationum, lecti-  
 sterniorum, pervigiliorum, spectaculorum etiam tum Circensium,  
 tum Scenicorum triduò trinoctiòque celebraretur. Indeq; (sit mihi  
 venia loquendi cum POLITIANO) Quindecimviri *sacra faciebant*  
*in Capitolio, & Palatino templo, pro suggestu confidentes, populo pia-*  
*mina, Tedas, sulphur, bitumen dividebant, cuiq; item triticum, fabu-*  
*lum, hordeumq; dari mos erat. Mox, tribus aris ad ripam fluminis*  
*extructis,*

Euseb. in Chron.

Bücholz. in  
Chronolog.

Corn. à Lap. in  
c. XXV. Lev.

Montigian. l. 1.  
de Jubil. c. III.

Hug. Cardinal.  
in XXV. Levit.  
Gen. XIV.

Perer. Tom. I. in  
Gen. l. I. n. 121.

Politian. Misc.  
Cent. I. c. LVIII.  
Rosin. l. V. An-  
tiqu. Rom. XXI.

*extructis, totidem agnos immolabant, & sanguine imbutis aris corpora  
 victimarum concremabant. Mox in theatrum conveniebant ad ludos in  
 honorem Apollinis Dianæq; faciundos. Mox nobiles matrone frequen-  
 tabant lectisternia, ex ritu hymnos canentes. Pueri tandem ternoveni  
 pretextati totidemq; virgines, patrimi omnes matrimiq;, Græcâ Roma-  
 nâq; voce Pæanas concinebant & carmina, quibus Imperium suum &  
 incolumitatem populi Dis immortalibus commendabant.* Superstitiosa  
 ac impia huc trahis, nec digna, quæ commemorentur, objiciat ali-  
 quis mihi instar Achilleæ cujusdam panopliæ. Funes is necit ex  
 arenâ. Liberè dico, & illa ego sperno, cumque Plautino milite  
 totum hoc gentile agmen uno Spiritu difflò, ut folia ventus: Neque  
 enim SECULARE Romanorum FESTUM ideò huc traho, quòd SERENISS. PRINCIPEM inde discere oportuerit, quid  
 rei divinæ facere se in hoc LUTHERANORUM JUBILÆO  
 TERTIO conveniret. Non ita infans aut absurdus sum. Quid  
 igitur? hoc videlicet commodi habuit SECULARE ROMA-  
 NUM, ut, si gentiles tanto zelò, tantaque pompâ Seculis singulis  
 triduum trinodiumque in honorem Tutelarium suorum sacrum  
 egerunt, eò majus ex consuetudine illâ calcar adderetur intra justos  
 & legitimos terminos se continendi, inque honorem Dei immor-  
 talis, unius Tutelaris, multò magis Jubileum religiose Pacificationis  
 promulgandi. Urgebat deniq; SERENISSIMUM Necesitas: Nam-  
 que res hodierna Religionis est, acerrimè agitata quondam, quæque  
 modernò seculò, & post Transactionem Osnabrugensem, contra Edi-  
 ctum à parte Pontificiorum minùs feliciter quàm acriter tentatur.  
 Ideoque major necesitas in promptu erat, publicò Jubileò profiteri  
 Religionem toties pressam, sed non oppressam, toties quassam, sed  
 non concussam, ejusq; Pacificationem sanctam sub reminiscentiæ in-  
 cudem revocare. Eant interim sceleratò nomine signandi Jesuitæ  
 quasi contagione quâdam per singulas orbis urbes, omnia conqui-  
 rant lenocinia, omnia seplasiariorum myrorhecia profundant, ut  
 putida rancidi convirii fassamenta, tanquam papavere ac sesamo  
 sparsa, nauseanti stomacho commendent, in dubium vocantes, num  
 Pax hæc Religionis sit secundum se licita? Audiamus fictitium illum  
 HUMANUM ERDEMAN Oecomontanum: Occupata, inquit, bona  
 Ecclesiastica à Protestantibus detinentur vel jure vel factò. Jure ab iis  
 detinentur bona mediata, ante Passaviensem transactionem, licet in-  
 justè occupata; si verum est, Pacem Religionis esse transactionem, in-  
 ter Catholicos & Augustanæ Confess. Status licitè initam, perfectam,  
 ac sanctionem pragmaticam, æternum in Imperiò valituram. Si verum  
 est, dubitans loquitur Jesuita: Omnino enim Asebius quidam, qui  
 perperam se fictò nomine ERNESTUM DE EUSEBIIS nuncupat,  
 rationes septem impias; non secus ac Ajacis septemplex clypeum,  
 contra Pacem Religionis objicit, quasi que Gorgonis caput intentans  
 inter alia nugatur: Pax ejusmodi est usurpatio potestatis non compe-  
 tentis, quæ neq; jure divino, neq; humano conceditur, potestatem san-  
 ciendi Pacem religionis vel aliam similem Cæsar & Status Imp. neutro  
 jure acceperunt. Vah! quæ nugæ, quæ petitiones principii? Dudum  
 sunt

Human. Erdem.  
 Anti-Caram.  
 Stat. qv. §. 3.

Ernest. de Euseb.  
 Jud. Theol. sup.  
 qv. an pax, quæ  
 lem desiderant  
 Protest. sit se-  
 cundum se illi-  
 cita?

sunt explosæ veteres hæ naniæ JAC. SIMANCHE, CONR. BRUNI;  
MART. BECANI, aliorumque malè feriatorum hominum, excepta  
sunt eruditè ac fortiter à JO. CARAMUELE à Lobkovits, & ipso  
Pontificio homine, quævis tela Asebi, nisi quòd personatus Erdem-  
man improbitate ac impudentiâ cum Asebiò contendere voluisse  
videatur, ac fortasse omnem palmam præripuerit, siquidem *Discus-  
sionem Asebiani Judicii, à Caramuele Institutam*, eludit magis Sophi-  
sticè, quàm diluit Logicè. Nimirum

--- --- --- *Verborum tanta cadit vis,*  
*Tot pariter pelves & tintinnabula dicas*  
*Pullari*

Nunc ad reliquam Tuam, ILLUSTRIS-SIME HEROS, verè  
Electoraalem Vitam, ad reliquas Tuas verè Principes Virtutes, sive  
ad Actiones Tuas verè Pacificas progredi fas foret: Etenim, si olim  
*frugalitate Pisones, sapientiâ Lælii, pietate Metelli, disciplinâ mili-  
tari arteq. bellandi Fabricii, Scipiones, Camilli, &* ex encomio JO.  
HENR. MEIBOMI, *ingeniò, liberalitate, vigilantia, mansuetudine,*  
*rebus pace belloq. gestis Mæcenates* monstrabantur, an non satius  
esset monstrasse *Bibliothecam vivam & obambulans Museum*, TE  
ELECTOREM SAXONIÆ, in quò simul omnia uno isto  
nomine, OPT. MAX. POPULICOLÆ, continentur Virtutum  
Simulacra. Verùm profectò, quod hominibus per loca, dumetis  
atque spinetis undiqve horrescentia, facientibus iter accidit, ut,  
dum sinuosiore se dumò explicant, asperiori spinâ implicentur: id  
mibi Hodie usu venit. In singulis Laudibus SERENITATIS  
TUÆ CELSISSIMÆ ita miracula nectuntur ex miraculis, ut,  
dum hinc miraculum fugio minus, inde in miraculum impingam  
majus. Tàm magna & inusitata TUA, PRINCEPS GLORIO-  
SIS-SIME, Gloria est, ut, tam delineare cupiens, non tam verear,  
ne me in Laudibus nimium, quàm ne parcum putes. Tanta con-  
cordia tantusque concentus omnis Gloriæ Principi Nostro con-  
tingit, ut intra Scyllam & Charybdin hæream præmetuens, ne quid  
Principis Severitati meâ hilaritate, Principis Gravitati meâ simpli-  
citate, Principis Majestati meâ obscuritate detrahatur: Lætatur  
enim aliquis inter Principes *Virtute Majorum*, & sine æmulo, ac  
sine exemplo secum certat, secum contendit? SERENISS.  
Noster est, qui, sicut imperat solus, solus ita est, qui debeat imperare.  
Enitet aliquis in *Bello*? SERENISSIMUS Noster est, cui militare,  
cernere, vincere tam gloriosum fuit, quàm salubre. Amat aliquis  
*Pacem*? SERENISSIMUS Noster est, qui, innutritus quidem  
bellicis laudibus, rectiùs & sapientiùs noverat propter Pacem miri-  
gasse arma, quàm propter arma asperasse Pacem, quùm *Pacis causâ  
omnes Boni Principes Bellum gerant, & laborem spe otii sustentent,*  
*siq. locus datur, otio finiant laborem.* Clementiâ aliquis Amorem  
captat? SERENISSIMUS Noster est, cujus Clementia ac Bonitas  
in omnes pariter intenta est ac accincta, ut tristius aliquid seculò  
suo passis ad remedium salutemque sufficiat, ut sciat Princeps.

C

Diligi-

*Caram. Discuss.  
brevis Judic.  
Theol. & Vebic.  
Ern. de Euseb.  
sup. Pace. Conf.  
Ejusd. lib. cui  
Tit. S. Rom. Imp.  
pax licita de-  
monstrata.*

*Meibom. l. sing.  
de Mæcenat. 2.  
V. sequ.*

Diligitur ergo, atque re comperit, *jucundissimum esse in rebus huma-  
nis amari, sed non minus amare.* Aliquem *Liberalitas* honestat?  
SERENISSIMUS Noster est, in quem Deus immortalis tanta con-  
gescit & Naturæ bona & Ornamenta Fortunæ, ut, quamvis maxima  
largiatur, ita penes eum sint omnia, quasi ea solus obtineat. Est ne  
verum, quod inter hæc & alia, de quibus religiosè taceo, clama-  
mus, O nos felices? Quid enim felicius nobis, quibus non jam  
optandus est Bonus Princeps, sed qui ipsi persentiscimus PATRIS  
BENIGNITATEM, PRINCIPIS BONITATEM, E-  
LECTORIS PRUDENTIAM, triplex in Uno Decus, &  
tantum, ut nunquam usquam desinamus mirari, quem non sine  
quodam munere Dei senectutis insignibus ad augendam Majesta-  
tem ornata ~~Cæsaries longè lateqve Principem ostentat.~~ Hinc,  
Amore victi, cogimur letabundo iterare alloquiò Octaviæ cothur-  
num, quem aptavit SENECA:

*PACE. SERVASSE. CIVES. MAXIMA. MAJOR.  
EST. GLORIA. PATRIÆ. PATRI.*

Ac ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, encomia POTEN-  
TISS. ELECTORIS JO. GEORGII I. PARENTIS  
confecter, TE Hodie quoque, SERENISS. ELECTORATUS  
PATRII HÆRES JO. GEORGI II. memoriâ & religione  
humillimè complector, qui animadverto fore, ut, pondere Laudis,  
quam DOMINE CLEMENTISS. meres, obrutus, magis imbe-  
cillitatem ingenii detegam, quam Tuam Virtutem, sicut par est,  
representem: Qvis enim tam potens est fandi? cujus copia lo-  
quendi tam larga, tam felix est, qui, *Virtutes CELSISSIMI JO.  
GEORGI II. voce vel stylo prosequens, non, aut circumventus  
Numerò, desperato exitu stupeat, aut territus Magnitudine obsolescat,  
aut Splendore excœcatus hæreat? Habeant & hæc, quod unguis arro-  
dant Poëtæ, quod æstuent Oratores, quod sudent Historici.* Non  
minor Magno PATRE est FILIUS, nec minus Religiosus, nec  
minus Pius. Filiis religiosi Theodosii Imp. cujus laudis fastigium  
facundiâ suâ attingere se potuisse dissentur disertissimi Episcopi  
AMBROSIVS & AUGUSTINVS, Arcadio nimirum & Honorio  
consentiens perhibent *Pietatis* ellogium Historici omnes, SOCRA-  
TES, THEODORETUS & SOZOMENVS, quod *Reverentiâ in  
Deum* nemo ex sacerdotum vel etiam plebeia turba his summo locò  
natis animabus fuerit religiosior, nemo ferventior *Zelò sincere fidei,*  
nemo submissior *Observantiâ in Doctores Ecclesie,* nemo *Clemen-  
tiâ* habilior ad Imperium; quamvis etiam JOACH. CAMERARIUS,  
nimium fidens *Amm. suo Marcellino,* nimiam mansuetudinem  
Theodosii M Filiis imputet, & quæ noxæ fuerit Reipubl. eam car-  
pat. *Honorius,* inquit THEODORETUS, Europæ regno suscepto,  
antiquum *Romæ digladiandi morem sustulit: Arcadius autem Con-  
stantinopoli, cujus partes Ei Imperium obvenerant, mortuo illius Ec-  
clesiæ Pastore Nectario, clarum Orbis terrarum lumen Jo. Chrysoptom.  
maximæ Urbis Pastorem curavit declarari: qui accepto Ecclesiæ clavo*  
quorum-

*Camerar. Epit.  
Hist. Theodor.*

*Theodor. l.V.  
Hist. c. XXV.*

quorundam delicta liberè reprehendebat, & Regi ac Regina optima sug-  
 gerebat. Nisi jam tum innotuisset Germaniæ Tua, CELSISSIME  
 PRINCEPS, Pietas ac suprema Cura, quam non tam pro con-  
 stituenda, quam pro conservanda Orthodoxia desudas, possem  
 emittere non Velites Blanditiarum, sed in aciem justam & mutuam  
prælium educere validissimorum Encomiorum Hastatos, Virtu-  
 tum certissimarum Principes, locupletissimæ Fidei Triarios: Quis  
 enim est, quem latet JO. GEORGII II *Reverentia erga Deum?*  
 Soli Deo à teneris se devovit PRINCEPS. Quem latet PRIN-  
 CIPIS erga *Evangelicæ doctrinæ puritatem Zelus?* Cum Theodo-  
 sio utroq; & Arcadio tot soporiferas noctes pro conservatione Reli-  
 gionis veræ insomnes agit PRINCEPS. Quem latet *Observantia*  
 PRINCIPIS *erga Doctores Ecclesiæ?* Dudum in *augustâ Pasto-*  
*rali Panegyri* non sine omnium lætitiis declaraviteam PRIN-  
 CEPS, non modò *Ædem Cathedralem* cum OPT. MAX. PA-  
 RENTE, cum HEROINA CONJUGE, cum EMINENTISS.  
 eoqve UNICO FILIO ascendens, sed, quod maximum est,  
*Excellentiss. Dn. EPHORUM* Autoritate, quæ decet Principem,  
 singulari ac Comitatu Augusto in Curiam è Templo deducens.  
 Præfiscini hoc nunc dixerim, neminem tantâ Majestate armato,  
 tantâ Libertate nato & educato Principe, CELSISS. DUCE JO.  
 GEORGIO II. *Religionis Innocentiâ* clariorem, *Comitate* faci-  
 liorem esse, quam tamen temperare novit Gravitate. *Gravitas*  
*quippe & Autoritas Civilis Principum anima est, quæ unicâ sub-*  
*sistunt, àq; privatis subditisq; differunt.* Hanc ut acquirere artis est,  
 sic partam tueri, labor & industria. *Accedit Heroicus* SERENISS.  
 PRINCIPIS *Spiritus* decorum in omni fortunâ servandi. Ad  
 Majestatem Principis pertinere didicit *decorum in omni fortuna*  
*servare, ac, ut dignitate cæteris antestat, animum supra communem*  
*sortem excelsum & impavidum gerere.* Nam ut hinc Veneratio  
 nascitur Principi, ita contemptus, si sui immemor protinus succum-  
 bere, vel inertiam quadam vilescere animadvertitur. O Felicissimum  
 Principem, quem Deus & Virtus tot tantisque stimulis ad Principa-  
 tum capessendum percellit! Non desinit in Eo esse Virtus, sed  
 magis magisque incipit esse, & spargit ex se optima Opera ac ex-  
 cellentia facta, imò fundit Virtus. Edisertarem pleraque hæc,  
 eaq; majora incrementa Virtutis, quæ ipsa non majus domicilium  
 Lacedæmone habuit, quam habet in TE, SERENISSIME, quæque  
 consensu quodam non magis in laudes masculi populi conspiravit,  
 quam conspirat in TUI UNIUS Laudes. Sed malo ista silentiò  
 obducere, quam eloquiò qualicunqve proferre, Timanthem cum  
VALER. MAXIMO imitatus, qui, luctuosum immolatæ Iphigeniæ  
sacrificium in tabula representaturus, caput Agamemnonis velo  
involvitur, summi mœroris acerbitatem arte exprimi non posse  
confessus: ita & Ego reliqua silentii velo involvam, SUMMAM  
 PRINCIPIS MAJESTATEM meò exprimi non posse elo-  
 quiò confitens. Quare ad TE, CELSISSIME NEPOS,

*Observ. Polit.*  
*sup. Nup. Gall.*  
*Mot. Apb. V.*

*Val. Max. l. VIII.*  
*c. XI.*

36  
52  
A  
Plin. Panegyrr.

JO. GEORGI III. PRINCEPS JUVENTUTIS SPLENDI-  
DISSIME, antequam receptui canam, humillimos elevo oculos,  
Teque barbaro, breviori tamen alloquiō veneror: Nam Tu quo-  
que si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem. Quan-  
tam autem DUX SERENISSIME percipis voluptatem, quando  
OPT. MAX. AVUM tantum ELECTOREM, OPT. MAX. PAREN-  
TEM tantum ELECTORATUS SAXON. HÆREDEM cernis?  
cumque eo, qui Te genuit, amicissimè contendis, pulchrius fuisse  
elegisse talem, an genuisse? Trahenda huc esset imago illa in Aqvi-  
lejensi palatio ad ipsum convivii posita aspectum, materiã ima-  
ginis quàm arte felicior, ubi puella divino decore venerabilis, sed  
adhuc impar oneri suo, sustinebat, atque offerebat Principi puero  
galeam, aurò gemmisque radiantem, & pennis pulchræ alitis emi-  
nentem. Quid TIBI, ILLUSTRISS. JUVENIS, declarare pictura  
illa videtur? Declarat ea, quòd TE Avitæ Patriæque Formæ Imi-  
tatio faciat pulchriorem, quod vix ulla possunt habitus ornamenta  
præstare. Maçte ergò Bonis Animi, maçte Novâ Virtute, intereã  
per Avi Patrisque grasseris exempla, in Sapientissimum simul For-  
tissimumque adolescas Principem, ut subsidia Reipubl. erigens,  
exanimata recreans, dilapsa colligens, assequaris Nomen AUGUSTI,  
quod ad altius transire non sinit, quùm non minus optimum sit,  
quàm maximum.

DIXI, SACRATISSIMI PRINCIPES, CLEMENTISS. DNI  
pro ratione temporis proque tenuitate mea sermonis magis tædiò,  
quàm gratiæ deliciò ea, quæ humillimã mente admirari Hodie in  
Vobis & amare debemus. Exaudi igitur Summe Deus, antea  
conditor, nunc conservator ILLUSTRISS. FAMILIÆ SAXONICÆ,  
exaudi, quæ pro SERENISS. JO. GEORGIO I. PARENTE  
ELECTORE, pro SERENISS. JO. GEORGIO II. FILIO  
HÆREDE ELECTORATUS, proq; JO. GEORGIO III NEPOTE,  
non exclusis ILLUSTRISS. CONJUGIBUS, nec SOBOLIBUS CELSIS-  
SIMA, JUBILÆO hoc FESTO optamus. Non te distringimus  
Votis multiplicatis: Non enim Pacem, non Concordiam, non  
Securitatem, non Opes, non Honores, non Senii tranquillitatem  
oramus. Simplex cunctaque ista complexum Unum  
Omnium Votum est:

SALUS PRIN-  
CIPUM.

107  
m



F. 22, 20.

X 200 5255

Yb  
528

PANEGYRICUS SECULARIS  
DE  
JUBILÆO LUTHERANO-

RI... D,  
SEREN... ISQVE  
D... S,  
JOHANNI PARENTI,  
SEPTIMO  
JOHANNI II. FILIO,  
EXCE... PTEM-  
JOHANNI NEPOTI,  
AM... CIO  
SAXO... LIVIÆ  
DOMIN... IS SUIS  
SUPPL... AQVE  
CHR... CI M.  
AM... NÆ  
PACI... MITIIS  
AUC... ATÆ



Collegit me M. Jos. Augusting Egenolphus da 1677

FREIBERGÆ  
Excud. GEORGIUS BEUTHERUS.

